



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per
Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum,
quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia
Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 431. An filius habens feudum paternum, teneatur satisfacere
creditoribus patris ex ipso feudo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](#)

*Quæst. 431. An filius habens feudum pa-
ternum teneatur satisfacere credi-
toribus patris ex ipso feudo?*

Resp. Tam eti filius non adiens hæreditatem paternam non teneatur satisfacere creditoribus paternis, prout indubitatum judicat Clar. 9. 43. n. 1. ubi tamen adiit hæreditatem cum beneficio inventarii, & feudum non est hæreditarium, non tenetur ultra vires hæreditatis paternæ ex ipso feudo solvere; quia hoc habet ex pacto & providentia primi acquirentis, & non tanquam hæres;

CAPUT TERTIUM.

De Probatione Feudi Causisque feudalibus di- judicandis & Feudi Caducitate.

*Quæst. 432. An & qualiter in dubio va-
sallus teneatur probare rem esse al-
lodiale?*

Resp. primo: In casu, quo dominus afferit rem aliquam esse feudalem, possessor vero illius afferit esse alloodalem, hic non tenetur probare alloodalitatem; in dubio enim res præsumitur alloodalis, cùm feudum sit species servitutis, qua non præsumitur. Gail. 1. 2. obs. 69. n. 4. & seq. Clar. 9. 18. dicens hanc esse vulgarem, quam sequuntur omnes. Sed neque, dum quis accepit investitram de castro & omnibus pertinentiis, adhuc incumbit tali vasallo onus probandi rem aliquam, quam possidet in territorio illius castris esse alloodalem, cùm adhuc præsumatur alloodalis, quādū dominus non probat esse de pertinentiis ad castrum. Host. in c. nimis. de jurejur. Clatus loc. cit. num. 2. dicens communem. Cujus contrarium tamen sentire videtur. Gail. loc. cit. num. 7. dum ait: Concello castro cum pertinentiis, omnia, qua sunt in territorio censentur pertinentiae, & quidquid est intra fines Comitatus, præsumitur esse de Comitatu. Item dum quis ut vasallus servivit præstante servitia personalia per longum tempus, puta, decennium, non præsumitur adhuc titulus vasallagii seu homagii; sed ad hoc requiruntur anni 30. cum effici aliquem vasallum alterius sit res magni præjudicij; ita cum Bart. in l. solent. §. fin. num. 9. ff. de off. procons. Clar. 9. 19. num. 1. adeoque contrarium non tenetur probare vasallus talis. Ut etiam qui se pro vasallo habet, non tenetur probare præcessisse solennem concessionem feudalem, dum rem ut feudalem per decennium possedit; quia id præsumitur ex lapsu tot annorum. Clar. ibidem. num. 2.

Resp. secundò: Feudum novum probari non potest nisi per Pares curiae, hoc est, convasallos ejusdem domini, aut per Breve à Paribus confirmatum, ne quid falsitatis in præjudicium & perniciem domini excogiteatur aliis testibus inductis, qui forte pecunia corrupti sint per texum c. 1. §. idcirco. de novo feudo. & c. 1. §. novam. qui test. sint necess. ita Gail. 1. 2. obs. 50. à num. 4.

*Quæst. 433. Proximioritas in ordine ad
succedendum in feudo an & qualiter
probanda?*

Resp. Agnati volentes succedere ultimo vasallo, necessarij originem feudi, ex quo modo ipsi

communi stipite & primo acquirente feudum descendant, probare debent, ita ut alias non sufficiat agnationis & gentilitatis qualitas allegata, & gradus prærogativa (intellige non probata). Gail. 1. 2. obs. 149. num. 5. Unde num. 6. monet, ut providi sint agnati, ut majorum investitures accurate & diligenter custodiunt, & lineam originemque feudi, adeoque primum acquirentem follicite obseruent, cùm in hujusmodi feudis antiquis agnatis non jus, sed probatio desit l. dho sum. ff. de testam. tutel. Sicut autem antiquitatem, ita etiam plenè proximioritatem probant libri genethliaci, quos magnæ & primaria nobilitatis familiae asservant, in quibus continua serie originem & successiones gentilium describunt, si in archivio familiae in honesto loco, apud viros omni exceptione majores custodiantur. Arg. c. ad andientiam. de prescrip. & ibi Abb. utl & in c. cùm causam. de prob. num. 1. Bart. in l. 1. ff. si cert. petat. & alii, quos citat & sequitur. Gail. loc. cit. num. 7. qui etiam num. 8. idem dicit quod ad vim illam plenè probandi cum Innoc. in c. 1. de prob. n. 1. in fine. de scripturis antiquis etiam lapidibus & columnis incisis.

*Quæst. 434. Libri feudales an sint au-
thenticæ, habeantque rationem legis
& allegari possint ad decisionem cau-
sarum?*

Resp. Libri seu consuetudines feudales, postquam ab Imperatoribus, quorum & leges condere, in variis locis confirmatae & ratificatae, ut colligitur ex l. 1. feud. tit. 13. quin & à summis Pontificibus consuetudines in eis contentæ approbatæ. Arg. c. ceterum. de Judio. & c. ex transmissa. de for. comp. Dein in scholis publice prælectæ, & longissimo ac immemoriali orbis totius usi receptæ & practicatae non possunt non dici & esse authenticæ, facereque plenam probationem, & eadem, quæ leges alia scriptæ auctoritate pollere, adeoque non minus quam hæ ad decisionem causarum adhiberi possunt. Ac ita contra Host. in sum. de immuniti. Ecl. §. in quantum. & paucos alios tenent Fachin. l. 7. controv. c. 2. Zaf. in epitom. feud. in pr. Belvisio in c. 1. §. fin. de his qui feud. dare poss. q. 1. cui, si ulli alii, in materia feudorum credendum ait Marant. Spec. aur. part. 3. num. 84. Marant, ibidem ipse. Clar. §. feudum. q. 3. n. 1. Pith. b. t. n. 27. omnes testantes de communi, & ubique practicari solita. Et quidem causæ feudales